



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Praeceptis  
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -  
Libros Vndecim Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio  
Leodii, 1709**

Caput V. Vitia prudentiæ opposita per excessum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

virtutem, in cuius materia versatur, v. g. contra obedientiam, si versetur in materia illius, vel contra religionem, si sit negligencia in cultu Dei, &c. Si autem sit omissione diligentiae requisitae ex parte intellectus, per quem voluntas moveri, excitari, & quasi urgeri debeat ad promptam operis executionem; sic est contra prudentiam; non tamen peccatum mortale, nisi causa sit neglectio operis, ad quod est obligatio sub mortali, vel nisi inducat periculum omittendi aliquid ejusmodi.

## C A P U T V.

*Vitia prudentia opposita per excessum.*

<sup>30</sup> **A**S. Thoma sex enumerantur, prudentia carnis, astutia, dolus, fraus, sollicitudo temporalium, & sollicitudo futurorum.

Prudentia carnis solerter excogitat media idonea ad vivendum secundum carnem, sive secundum instinctus naturae corruptae, secundum affectum utique vindictae, irae, superbiae, luxuriae, &c. Malitia ipsius non consistit in cognitione istorum mediorum: utpote que cognosci possunt a viris sanctis, sed in coniuncto affectu ad eorum executionem, quem affectum seu appetitum supponit, sicut prudentia spiritus supponit, & coniunctum habet appetitum rectum. Unde est peccatum mortale, si affectus ille sit ad aliquid mortale, iuxta illud Roman. 8. *Prudentia carnis, mors est: tametsi enim licet ametur caro, in ordine ad bonum animae, & finaliter in ordine ad Deum: scilicet, si amor ficit in carne, cujus opera mortifera sunt, scilicet fornicatio, immunitia, impudicitia, &c. ut videre est ad Gal. 3.*

<sup>31</sup> **Astutia**, licet subinde accipiat in bonam partem, ut Proverb. 1. ut detur *parvulis astutia*. Et 13. *astutus omnia agit cum confilio*. Et 2. Cor. 12. *Cum essem astutus, dolo vos cepi: non tamen propriè, sed abusive*, inquit Augustinus lib. 4. contra Julian. c. 3. Sicut enim prudentia abusivè quandoque in malum accipitur; ita astutia quandoque in bonum. Itaque astutia, propriè accepta, est ingeniosa excogitatio mediorum non pañim obviorum, apparetur quidem bonorum, sed revera malorum, ac fallacium, ad confequendam finem intentum, sive bonum, sive malum, cum voluntate ea applicandi. Non solum est peccatum, dum ordinatur ad finem malum, sed etiam dum ad bonum. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. Unde Apostolus 2. Cor. 4. monet, ne sumus *ambulantes in astutia*. Est vero peccatum mortale, vel veniale, pro ratione mediæ, quo astutus uitatur, vel mali finis qui intenditur.

<sup>32</sup> **Dolus** est executio astutæ, sive verbo fiat, sive factio. **Fraus** est executio astutæ per facta. Fit aliquando legi, aliquando

contra legem. Contra legem fit per violationem ipsius, nullo colore vel artificio palliatam. Legi fit, contra significatum legis adhibito aliquo artificio, vel palliatione, uti sœpè contingit in usuris palliatis, & venditionibus, vel dœnationibus fraudulentis, v. g. dum uxor, quæ non potest donare viro, interponit tertiam personam, cui donat; cum onere retrodonandi viro. vel dum tutor, qui emere non potest rem pupilli, interponit alium, qui pro ipso emat, &c. Est proinde peccatum ex suo genere mortale.

**Sollicitudo temporalium** est nimia mentis occupatio in illis acquirendis, vel conferuandis, ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore proveniens. Porro nimietas ista tripliciter contingit; vel quia animus temporalibus inheret, veluti fini positivè ultimo. Et hoc peccatum est mortale, juxta illud Matth. 6. *Non potestis Deo servire, & mammone*. Vel quia animus usque adeò iis applicatur, ut abstrahatur à spiritualibus, sollicitudoque hujus saeculi sufficit verbum Dei, ne fructum faciat in corde ipsius, ut dicitur Matth. 13. Et hoc quoque mortale est, si necessaria ad salutem propterè notabiliter negligantur. Vel quia anxius animus facit, seu anxie timentem, ne faciendo quod debet, sibi necessaria defint. Et ista anxietas provenit ex defectu fidei de divina providentia, & promissione Salvatoris: *Querite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & cetera adjicientur vobis*. Unde anxietatem illam & timorem esse gentilem, Christus insinuat, Matth. 6. cùm dicit: *huc enim omnia Gentes inquirunt*.

**Sollicitudo futurorum** est nimis anxia mentalis occupatio circa futura, ne felicitate temporalia defint. Unde species est sollicitudinis temporalium, prohibeturque Matth. 6. cùm dicitur: *Nolite solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi*. Ex quibus postremis verbis colligitur, moderatam & tempestivam sollicititudinem habendi necessaria in futurum non esse prohibitam (cùm eam Scriptura commendet Proverb. 6. *Vade ad formicam, &c. necnon c. 10. Qui congregat in messe, filius sapiens est*). Unde Joseph tempore abundantiae providit Ægypto pro septem annis futuræ sterilitatis) sed intempestivam, vel cum defectu fiduciae in divinam providentiam. Unicuique enim tempori sua competit sollicitudo, prout innunt verba illa Salvatoris: *crastinus dies sollicitus erit sibi*; & ita Eccli. *Omnis negotio tempus est & opportunitas*. Quomodo astutæ competit sollicitudo metendi; autumno, sollicitudo vindemiam colligendi. Peccat ergo contra hanc circumstantiam temporis, qui hyeme, vel vere sollicitus est de metendo, vel nimis anxie timet, ne labor agriculturae v. g. tam copiosos non referat fructus, quam cupit.

R r

Tom. II.